

1020,






N. F. 26





Insum huius Volumini      Heinecy Paulus Saksyóppvor  
 Ludovici de usu Imaginum.      Schurzfleischer Res Meideburgi.  
 Calixti de sectis Pielid. et Ciliast.      de actionibus Turcarum  
     de Incarnationis mysterio.      Theatrum naturae et artis.  
 Schmidt Sudaria Christi.      Wasmuth. de Excessione Spiritus S.  
 Epistolarum ad Romanum.      Fabricij de Altariibus.  
     an opposita disquisitione de      — de Cereis Salsis.  
     Fide.      Calixt. de S. S. Trinitate  
 Schmidt. Mulier Heterodoxa.      Weise de Pericopis Evany. et Epistol.  
 Meibom. Commentat. Historicis.      de Terramotis in Sicilia  
     de Augusta e profapia suo.      de Omopodis Episcop. Graec. Kard. de melle Palestina  
     de Omopodis Episcop. Graec. Kard. de melle Palestina  
 Crell. de Civis innocentis in Justitia.      Knobloch Observat. Biblicae  
     novo traditioe.  
 Rikmeier Clavis Gemmarum.  
 Schrader de Heliosynirahis.  
 Dandam: Siatinupis Curil: Hieru  
     Solymit.  
 Niemeier de disciplina Eccles.  
     1 et 2  
 Weisa de Uritione. 1. 2. 3. 4.  
 Schmidt de Geomantia.  
 Franck Origenes Nationum.  
 Struvy Rudimenta Logice.  
     Ebraeorum.







DISSERTATIO THEOLOGICA  
PRIMA

DE

DISCIPLINA  
ECCLESIASTICA,

QUAM

D. O. M. A.

Consensu Venerandi Ordinis Theologici  
IN ILLUSTRACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

JOH. BARTHOLDO NIEMEIERO

SS. THEOLOGICÆ DOCTORE, PRIMÆ PHILO-  
SOPHIÆ NEC NON LOGICES PROFESSORE  
PUBLICO ET ORDINARIO

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XXII. MAJI ANNI clō lōc XCV.

*Publico Eruditorum examini submittet*

JOHANNES FRIEDERICUS Stieglitz/  
Atenstetō - Halberstadiensis.



HELMSTADII,

---

Typis SALOMONIS SCHNORRIL



DISSERTATIO THEOLOGICA  
PRIMA

DE

PHILIPPA  
HOLLSTADTICA

QUAM

IN ILLUSTRI ACADEMIA JULIA  
GOTTINGENSIS VINCENSIS THEOLOGICA

P. R. A. S. I. D. E.

JOH. BARTHOL. O. S. I. E. M. I. E. R. O.

PH. D. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I.

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA


JOHANNIS FRIDERICI

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA





Εὐν τῷ Θεῷ.

DISSERTATIO THEOLOGICA PRIMA  
DE  
DISCIPLINA ECCLESIASTICA

§. I.

**D**uo potissimum sunt, quæ Sanctissimus Servator in Ecclesia, quam proprio sanguine acquisivit, Actor. XX. v. 28. perpetuò usque ad suum de cœlis multâ cum gloria conjunctum reditum in consummatione seculi futurum vigere voluit. Alterum horum est sincera verbi divini, saltem secundum ea, quæ fidei fundamentum respiciunt, prædicatio; alterum verò est Sacramentorum divinæ institutioni congrua administratio & dispensatio. Atque adeò hæc ipsa in sua Ecclesia vigere voluit Dominus, ut *ex his*, tanquam haud fallacibus notis dignosci possit, hoc vel illud corpus, seu hunc vel illum visibilem cœtum, sive hanc vel illam particularem Ecclesiam esse veram Ecclesiam, in qua sint electi & justî; ut loquitur Albertus Grævverus Disput. Antijesuit. III. §. 36. Quæ ipsa tamen non pari necessitatis passu ambulant, cum non eadem Sacramentorum ad æternam salutem consequendam sit necessitas, quæ est fidei, & verbi, ex cujus auditu est fides, Rom. X. v. 17. Fides enim in Christum per verbum accendenda est necessaria necessitate mediæ, adeoque in omni casu, sed Sacramenta necessitate præcepti necessaria sunt, hoc est ita, ut inevitabiles dentur casus, quibus implere præceptum non possis, nec propterea salute excidas; inquit B. D. Hildebrandus in Theol. Dogmat. cap. XIIX. §. XXII. Conf. B. Gerhardus Loc. de Eccles. cap. X. §. 126.

A

II, Huic



II. Huic tamen verbi divini prædicationi & Sacramentorum legitimæ dispensationi Dominus accedere voluit Clavium potestatem; cujus potestatis exercitium post fraternas admonitiones, quin & severiores correptiones in eo consistit, ut hominibus tam lapsis, quàm post Baptismum relapsis, peccata tamen sua agnoscentibus, detestantibus, firmâq; fide ac fiduciâ ad Christum se recipientibus gratia Dei, peccatorum remissio, atque ab æternæ pœnæ reatu absolutio annuncietur, illis autem, qui in sua impœnitentia perseverant, ira Dei denuncietur, & peccata cum reatu ad æternam damnationem retineantur. Exercitium hujus potestatis Clavium unâ cum iis, quæ illud vel antecedunt, vel in eo includuntur, *Censura*, item *Disciplina Ecclesiastica* nomine venire solet.

III. Disciplinæ hujus, ceu indicavimus, præcipuus actus, imò finis non tam est fidem in hominum animis vel primùm accendere, vel accensam obfirmare & confirmare: id enim fit partim per verbi divini annunciationem, partim per Sacramentorum dispensationem; quàm vitam honestam & Christianò homine dignam dirigere, ut *qui sunt Domini*, etiam *in viis Domini incedant*, aut si ab ea exorbitaverint, inque præcepta Domini impeerint, interveniente seriâ pœnitentiâ & peccatorum remissione impetratâ in viam reducantur, impœnitentibus autem & in malo perseverantibus peccata retineantur, atque ita hi *ligentur*, illi *solvantur*. Cùm autem peccata hominum duplex potissimum sortiantur *forum: Divinum*, quod quò ipsò suò quoque modò est forum Conscientiæ, *internum* est; & *Ecclesiasticum*, quod *externum* est, neque quod in uno exigitur, alteri præjudicet, hinc primò & ante omnia videndum est, quomodo disciplina Ecclesiastica per actum ligandi & solvendi sese exerens in ordine ad forum divinum sese habeat. Id quod negotium præsentè potissimùm Dissertatione exequemur. Deinde rationem Disciplinæ Ecclesiasticæ, prout ea in foro Ecclesiæ præcipuè actum ligandi respicit, oportebit spectare. Ac denique ratio disciplinæ, veteris præsertim Ecclesiæ, prout ea circa actum solvendi & pœnitentes peccatores Ecclesiæ recon-



reconciliandi est conspicua, expendenda erit. Quod negotium sequentibus Dissertationibus erit servandum.

IV. Quamvis autem disciplinæ hujus administratio pro temporum ratione in Ecclesia nunc strictior & severior, nunc verò lenior & laxior fuerit, exercitium tamen ejusdem ab Ecclesia non planè potest abesse. Non enim perinde est, quâ ratione quis coram Deo & sanctis ejus vivat, sed oportet unumquemque, qui Ecclesiæ, imò ipsius Christi membrum esse cupit, ita vivere, ut suo muneri non desit, quin potius erga Deum talem se gerere debet, ut eidem de omnibus cogitatis, dictis, factis in die *δικαιολογίας* reddere queat rationes; erga proximum verò talem se geret, qui ubique absque offendiculo infirmi fratris inculpatè, quantum fieri potest, vivat, ne ejusmodi infirmus frater, quem tamen Christus mercatus est, culpâ ipsius periculum damnationis incurrat. Vid. Rom. XIV. v. 15. II. Pet. II. v. 1. Unò verbò: quemlibet oportet *in Christo se ipsum ita exercere, ut conscientiam habeat illibatam sine offendiculo apud Deum & homines semper*, Actor. XXIV. v. 16. *fidemque ac bonam conscientiam retineat*. I. Tim. I. v. 19. Quòd si quis ergò suo huic muneri desit, in eum Ecclesia adhibitâ disciplinâ animadvertit, ut eum in viam revocet; ac tamdiu iram divinam ei denunciat, imò eum vel à beneficiis externis, quæ Ecclesia dispensat, tamdiu arcet, donec optatus ille subsequatur effectus, vel penitus à suo consortio & fraternis officiis eum submovet. Ut adeò Ecclesia æquè minùs absque hac disciplina esse queat, quàm vel domestica vel ulla alia societas in recto suo statu sine aliqua disciplina potest contineri.

V. Quicquid hujus sive verbum docendi, sive Sacramenta administrandi, sive ipsarum Clavium est potestatis, id omne suæ Ecclesiæ Dominus commisit: *Omnia namque vestra sunt: Vos autem Christi: Christus verò Dei*; inquit Apostolus I. Cor. III. v. 21, 22, 23. Interim tamen quemadmodum unaquæque societas civilis jus habet de rectoribus & magistratibus sibi prospiciendi, & hoc ipsum jus ad totam societatem (nisi fortè aliter pactum fuerit,) pertinet;



ita nec minùs Ecclesiam oportet habere jus certas personas designandi & muneribus, in quibus totius Ecclesiæ directio consistit, præficiendi: siquidem & hanc societatem ad finem maximè sublimem & supernaturalem respicientem oportet esse ordinatam. Cùm itaque tota Ecclesia non possit unâ manu baptizare, Sacram Cœnam administrare, aut unò ore verbum prædicare, ligare, solvere, necessitas ipsi imposita est certas personas constituendi, quæ hoc muneris ex potestate sibi delegata tanquam interpretes Ecclesiæ exercent. Sicuti & septem Diaconi ab Ecclesia constituti sunt in conspectu Apostolorum, qui cùm precati essent, imposuerunt eis manus. Actor. VI. v. 5. 6. & porrò per singulas Ecclesias Presbyteri per suffragia creati leguntur Actor. XIV. v. 23. & Apostoli ac Presbyteri cum tota Ecclesia delectos ex se viros cum Paulo ac Barnaba miserunt Antiochiam, Actor. XV. v. 22. Ac quamvis Tito hoc negotium datur, ut oppidatim Presbyteros constituat in Creta, Tit. I. v. 5. non tamen tam suò, quàm totius Ecclesiæ nomine id fecit, mandatum illud Ecclesiæ per Paulum accipiens.

VI. Atque hæc fuit praxis primitivæ Ecclesiæ, de qua testatur quoque S. Cyprianus Epist. ad Antonianum, quæ est LV. de Cornelio in Romana Ecclesia ad Episcopatum evecto ita loquens: *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, & de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tùm adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.* De S. Athanasio testatur Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem ipsius habitâ, quòd totius populi suffragiis, non autem secundum pravum exemplum, quod postea in Romana præsertim urbe & Ecclesia inolevit, neque per vim ac sædem, sed Apostolicò & spirituali modò ad Marci Evangelistæ thronum Alexandriae fuerit evectus. De S. Athanasii successore, Petro, pariter Theodoretus Histor. Eccles. libr. IV. cap. XX. idem testatur. *Hunc (Petrum,) inquit, beatum Athanasii caput primùm suffragio suò præfulem designarat, quod ratum habuere tùm sacerdotalis ordo, tùm magistratus ac primarii, denique universus populus gaudium suum latis acclamationibus testatus est.* Et sequi, cap. XXII. de Lucio Ariano sedem per vim & prævias nundinationes occupaturo inquit: *Non hunc constituerat conven-*



conventus orthodoxorum Episcoporum, non verorum clericorum suffragia, non populi postulatio, quemadmodum ecclesiasticis jubetur sanctionibus. Vid. Bellarmin. libr. I. de Clericis cap. IX.

VII. Qui itaque hōc pactō ab Ecclesia sacris functionibus sunt præfecti, Ecclesiæ os, manum, & omnem operam commodantes, sunt *Ecclesiæ ministri*, hunc in finem constituti, ut verbum Dei annuncient, Sacramenta dispensent, idque agant, ut omnia fiant *εὐχρημόως καὶ κατὰ τάξιν*, I. Cor. XIV. v. 40. Atque hi etiam, non verò alii, jus & potestatem Clavium Ecclesiæ à Domino concessam actu ipsō exercebunt. Benè proinde B. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. de Absolut. *Licet Claves tradita sint ipsi Ecclesiæ, sicut Veteres rectè tradunt: nullò modò tamen sentimus, quemvis Christianum promiscuè (præsertim extra casum necessitatis) sine legitima vocatione debere vel posse usurpare aut exercere ministerium verbi & Sacramentorum.*

IX. Quemadmodum autem in civili societate Magistratus sunt *κρίσις ἀνθρώπων*, humana ordinatio, I. Petr. II. v. 13. nec tamen potestas est, nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ, Rom. XIII. v. 1. ita & Ecclesiæ ministri ratione ordinis instituti & potestatis à Deo acceptæ, à qua habent, ut *ἡγούμενοι*, duces appellentur, quibus obedientia debeatur, Hebr. XIII. v. 17. sunt *Dei ministri*, ratione verò applicationis istius ordinis & potestatis ad certam personam, per quam exerceatur, factæ sunt *Ecclesiæ ministri*. Quod ipsum sicuti ex dictis facilè constat, ita ordinem Ministrorum verbi à Deo esse Scriptura Sacra multis in locis non obscurè prodit, Hebr. V. v. 4. exemplō Aaronis ad Christum accommodato confirmatur, vocationem & missionem Ministrorum Verbi à Deo esse. *Neque enim quisquam sibi sumit hunc honorem (Pontificis,) sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron.* Rom. X. v. 15. *Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint?* Scilicet perverse fit, si currant aliqui Prophetarum nomen sibi sumentes, quos tamen Dominus non misit, si prophetare ausint, nec tamen Dominus ad eos loquatur. Jerem. XXIII. v. 21. Conf. cap. XIV. v. 14. XXVII. v. 15. XXIX. v. 9. Rectè itaque Apostolus de se I. Corinth.



XV. v. 10. inquit: *Gratià Dei sum, quod sum, h. e. Apostolus, & gratia ejus erga me non fuit inanis. --- Et ego igitur, & illi, ita predicamus, & ita credidistis. Deus itaque est, qui dat τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς ministerium reconciliationis, II. Corinth. V. v. 18. Quod autem Deo Patri loc. cit. in quo vocem Dei non solum essentialiter, verum etiam personaliter, pro Patre, capi oportet, tribuitur, id Filio itidem adscribitur Joh. XX. v. 21. Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos. Ephes. IV. v. 7. 11. 12. Unicuique nostrum data est gratia pro mensura doni Christi. --- Ipse igitur dedit Pastores & Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerii, ad edificationem corporis Christi. Hinc Apostolus de se inquit: Christus me misit, ut evangelizarem, I. Corinth. I. v. 17. Et rursus: Nomine Christi πρεσβέουμεν legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine: reconciliamini Deo. De Spiritu Sancto dicitur Actor, XIII. v. 2, quod per modum mandati Apostolos ita fuerit allocutus: Separate mihi Barnabam & Saulum operi, ad quod eos advocavi, Et Actor, XX. v. 28. ingrege Christi Spiritus Sanctus dicitur constituisse Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisivit. Conf. Matth. X. v. 20. cap. XXIII, v. 34. 37. I. Corinth. XII. v. 4. 11, 28. Gal. I. v. 15. 16.*

IX. Inter jura verò, quorum exercitium Ecclesiae ministris concessum est, omninò etiam *potestas clavium*, atque ita omnis censuræ & disciplinæ Ecclesiasticæ usurpatio, verbi divini prædicationi & Sacramentorum dispensationi, ceu jam tum monuimus, superaddita atque Ecclesiae à Domino commissa, debet recenseri. Hanc ipsam verò à Domino Ecclesiae esse traditam, ex verbis ejusdem, quibus Petrum Matth. XVI. v. 19, alloquitur, clarè licet intelligere. Ita enim inquit: *Tu es Petrus, --- & tibi dabo claves regni caelorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in caelis, & quicquid solveris in terra, solutum erit in caelis.* Solum Petrum quidem alloquitur Christus, idque propterea, quod is solus quidem, non tamen suò solummodò nomine ad interrogationem à Christo propositam: *Vos, quem me dicitis esse?* respondisset: *Tu es Christus ille Filius Dei viventis.* Quemadmodum itaque  
suò



suò & reliquorum discipulorum Ecclesiam tunc repræsen-  
tantium nomine responsum dedit, ita pariter Dominus Pe-  
trum alloquens & claves regni cœlorum eidem commit-  
tens, non hunc solum, sed & reliquos discipulos, adeoque  
Ecclesiam fuit allocutus, & potestatem Clavium Ecclesiæ  
commisit. Benè proinde Origenes Comm. in Matth. Tract. I.  
*Quod si nos idem loquimur, quod Petrus locutus est, efficimur Petrus,*  
*& nobis dicitur: Tu es Petrus: Petra enim est, quisquis est discipu-  
lus Christi. Et post aliqua: Tibi dabo claves regni cœlorum, cate-  
ris quoque (Apostolis) commune est, & quæ sequantur, velut ad  
Petrum dicta, sunt omnium communia.* Basilus M. in vita soli-  
taria cap. XXIII. *Omnes ex aequo ligant & absolvent, quemad-  
modum ille (Petrus.) Hieronymus in Matth. XVI. Habent ean-  
dem potestatem, quam Dominus Petro concessit, alii Apostoli:  
habet & omnis Ecclesia in Episcopis & Presbyteris. Sed eam Petrus  
specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate  
fidei & societate Ecclesiæ se separaverit, nec à peccatis solvi, nec cœ-  
lum potest ingredi.* Augustinus Tract. L. in Evang. Johann. *Si  
hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si hoc in Eccle-  
sia fit, (ligare & solvere,) Petrus quando claves accepit, Eccle-  
siam sanctam significavit, repræsentavit.* Rursus Tract. X. in  
Epist. Johannis: *Ubi remissio peccatorum, ibi Ecclesia est. Quo-  
modo Ecclesia? Illi enim dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum;  
& quæ solveris in terra, soluta erunt & in cœlis, & quæ ligaveris in  
terra, ligata erunt & in cœlis. Quà diffunditur remissio peccatorum?  
inter omnes gentes, incipientes ab Hierusalem.* Fulgentius Ru-  
spensis libr. de fide ad Petrum cap. III. *Pœnitentia peccatori tunc  
prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat. Cui Deus in persona Petri  
ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens: Quæ alligaveris su-  
per terram &c.* Calculum addit quoque Venerabilis Beda Ho-  
mil. in Matth. XVI. v. 18. *Potestas ligandi & solvendi, quamvis  
soli Petro à Domino data videatur, tamen absque ulla dubitatione  
nosendum est, quòd & ceteris Apostolis data est. Ita patet, privi-  
legium Petro concessum non ad solum Petrum spectare, sed  
commune factum esse Ecclesiæ, uti non solum ex locis paral-  
lelis patet, verum etiam id confirmari potest ratione ex*  
Cypria-





Cypriano petita, ubi inquit: *Christus eandem dedit Apostolis omnibus potestatem. Et: Hoc ubique erant ceteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Et iterum: Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Libr. de Unit. Eccles.

X. Videntur verò voces *Clavium*, *Ligationis*, & *Solutionis* ex eo, quòd metaphoricæ sunt, adhuc non nihil obscuræ esse, ita tamen, ut effectus potestatis Ecclesiæ à Domino concessæ subindicent, imò occasionem disquirendi nobis suppeditent, qualis sit ea potestas? *Clavium* appellatione nonnunquam summa denotatur potestas; quò pacto Christus, *sanctus ille, verax ille*, Apoc. III. v. 7. dicitur habere *Claves David* h. e. regiam potestatem sive *παμβασιλείαν*, Matth. XXII. v. 18. Luc. I. 32. item *claves inferni & mortis*, Apoc. I. v. 18. h. e. dominium in infernum & mortem, inque eum, qui hæctenus inferni & mortis dominium sibi arrogavit. Nonnunquam verò *Clavium* appellatione designatur quoque potestas administrationis superiori subordinata. Sicuti Esa. XXII. v. 15. & 22. Eliakim, filio Hilkiyah in locum Sebnæ abjiciendi surrogando promittuntur *claves domûs David super humerum ejus ponenda* h. e. administratio domûs regis, ut locò hujus Sebnæ non solum *חספיה Hassopher* h. e. scriba aut Cancellarius, qui res cum divinas, tum civiles scriptò comprehendat, & quoties opus fuerit, enarret, imò etiam censor, qui rebus censendis præsit, verum etiam *חספיה Hassochen*, thesaurarius sive questor, *οικονόμος*, ut LXX. Interpretes Esa. XXXVI. v. 3. & 22. cap. XXXVII. v. 2. II. Reg. XIX. v. 18. & 37. XIX. v. 2. reddiderunt, *super domum regis ponendus*, eum vocant, *præfectus domûs* sive *magister palatii* sit futurus. Cum igitur Ecclesiæ ejusdemque ministris potestas *Clavium* fuit commissa, non erit intelligenda potestas suprema & independens, sed delegata & administrativa superiori potestati subordinata. Neque ab omni veritatis specie alienum est, si dicatur, Christum ad antiquum Judæorum morem respexisse, apud quos ex veteri instituto inter alia Doctorum quoque inaugurations *clavium* traditione



tione peragebantur, idque seorsim de R. Samuele annotatum legitur, atque ita Dominum hęc pactō Apostolos Ecclesię Doctores ac *mysteriorum suorum óκνούμεν* I. Corinth. IV. v. 1. designasse.

XI. Non solum autem voces *Clavium, Ligationis, Solutionis* de jure, verum etiam de effectu officii Ecclesię & ministris ejusdem mandati nos admonent. Certum enim est, easdem respicere potestatem retinendi ac dimittendi peccata, quin & hujus juris atque potestatis exercitium. Quemadmodum enim peccata hominis non solum sunt *onus* miserum & *grave*, imò gravius, quàm ferri queat, Psalm. XXXIIX. v. 5. verum etiam sunt quasi injecti compedes, quibus homines *illaqueantur*, Psalm. IX. v. 17. quibusque ipse Diabolus homines nonnullos *captivos tenet*, II. Tim. II. v. 26. ut ab ingressu regni cœlorum prohibeantur; ita reverà hominem irretitum atque vinctum detinent, ne quamdiu reatui ad culpam pariter atq; ad pœnam manet involutus, ad regnum cœlorum possit eniti. Talis autem est peccator, quando & quamdiu *ligatus est*, & quamdiu *peccata ipsi retinentur*. Simulac verò vincula laxantur & *solvuntur*, homo per peccatorum remissionem impetratam libertati redditus ad regnum cœlorum reclusum aditum sibi patefactum animadvertit, non secus ac si vincula captivi sunt laxata, isque dimissus liberam ad suos revertendi potentiam nanciscitur. Quemadmodum porrò is, qui vinculis injectis seram imponit, hominem *ligat*, & qui seram removet, vincula *solvit*; ita qui homini peccata retinet, eundem *ligat*, & qui peccata remittit, eundem *solvit*. Utrumq; verò fit per *Claves*, quas qui habet, ei autoritas & officium ligandi & solvendi est commissum, quò jure utitur, quoties clave sibi commissã actum ligandi & solvendi exercet. Eadem Claves non solum sunt claves vinculorum, sed & *claves regni cœlorum*. Etenim quò ipsò homines in hac terra ligantur, eò ipsò aditus ad regnum cœlorum iisdem est interceptus, ac per consequens regnum cœlorum clausum; quò ipsò autem sera de vinculis demitur, eaque istò pactò solvantur, homini quoque via ad cœlum rursus est patefacta,

B

imò



imò ipsum coelum reclusum. Vid. hanc in rem B. Calixtus in Concord. Evangel. libr. V. c. II. X. cujus eruditam & elegantem expositionem laudat atque approbat B. Glasius Philol. Sacr. libr. V. Tractat. I. cap. XII. p. 392.

XII. Sunt, qui arbitrantur, Petro & Ecclesiae verbis Servatoris adductis eò usque saltem concessam esse potestatem ligandi & solvendi, ut eorum iudiciò declaretur, aliquid esse licitum, vel illicitum. Putant hi Christum respicere ad morem loquendi Hebræorum, quibus teste Seldenò de Synedriis Hebræorum libr. II. cap. VII. §. 2. *Ligare & Solvere* idem sit, ac aliquid licitum, vel illicitum pronunciare. Est hæc sententia Philippi Limborchii Theol. Christian. libr. VII. cap. XII. §. 26. ubi inquit: *Hic Ecclesiae non promittitur potestas solvendi & ligandi: sed Petro promittitur potestas solvendi & ligandi, hoc est, declarandi, quid licitum, quid illicitum sit. --- Potest Ecclesia pronunciare hominem leges Evangelii transgredientem, quamdiu talis est, salute aeternâ exclusum, quoniam facit, quæ Petrus ligavit, hoc est, jussu Dei illicita pronunciavit: aut non fecit, quæ Petrus solvit, hoc est, legitima & justa, ac proinde facienda declaravit.* Hæc ille; quibus tamen subjicit: *Quæ pronuntiatio si regula Evangelii non respondeat, h. e. si clave errante fiat, ut aliàs loqui solemus, nullius est autoritatis, neque in hominis animam quicquam operatur.* Conf. Jo. Lightfooti Hor. Hebr. in Matth. XVI. v. 19.

XIII. Non opus est omnia hæc ad vivum refecare. Hinc non urgemus, quæ verborum istorum autor de legibus Evangelii earumque transgressione attingit, mittimus etiam hoc, quod ex vano metu, ne Ministris Ecclesiae aliqua potestas & regimen externum propriè dictum in Ecclesiam tribuendum sit, quos tamen non tam *judices* quàm *indices* esse oporteat, istam amplexus sit expositionem, ac tantùm hoc dicimus, loca parallela vix admittere illam Limborchianam expositionem: siquidem *Ligare* in Scriptura S. exponitur per *Retinere peccata* commissa ac perpetrata; *Solvere* autem idem est, ac *Remittere peccata*, uti constat ex Joh. XX. v. 23. Ac proinde etiam vis ac significatio, quæ in voce *Clavium* latet, novæ huic expositioni itidem parum favet. Quò accedit, quòd stante ex-  
posi-



positione Limborchianâ promissio Servatoris non ad Ecclesiam, aut ejus ministros sit extendenda, sed ad solam Petri personam restringenda, aut si Ecclesiæ aliquid sit tribuendum, ei nihil eximii præ singulis laicis esset promissum: siquidem & hi ad normam legis hominum facta exigentes declarare possunt, quid licitum sit, quid illicitum. At verò non qualiscunque declaratio Ecclesiæ est promissa, sed talis actio, quæ cum singulari quòdam in hominis animo & coram omnibus fidelibus effectu sit conjuncta. Obstat etiam isti expositioni, quòd objectum *Ligationis & Solutionis* sit homo peccator, & quidem propter peccata admessa. Quòd si itaque *Solvere* idem esset, ac: *Licetum pronunciare*; utique peccata non tam quotidianæ incurfionis, quàm voluntaria & contra conscientiam commissa clave non errante declararentur licita, & per consequens licuisse homini contra conscientiam peccare. Id quòd verò vel cogitare, vel dicere religio est! Unde adeò suæ huic expositioni parum fidere videtur Autor: siquidem seq. §. 27. ait: *Si hinc diversum quid, quàm Judæis erat Ligare & Solvere, significari velimus, dicendum erit, esse exercitium disciplina ligationi illi & solutioni consentaneum. &c.*

XIV. Quænam sit illa promissio, quam Ecclesiæ suæ Dominus Matth. XVI. v. 19. fecit, hætenus est indicatum. Eam verò non ad solum Petrum pertinere, sed ad omnes discipulos Christi, adeoque ad totam Ecclesiam esse extendendam, etiam ex Matth. XII. v. 15. 16. 17. 18. ubi ea repetitur, apparet. Verba, quibus indicatur, ratum fore in cœlis, si servatò ordine præscriptò pœnitenti peccata remittantur, impœnitens autem retentione peccatorum ligetur, hæc sunt: *Si peccaverit in te frater tuus, veni, & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc unum aut duos: ut in ore duorum aut trium testium sit omne verbum. Quòd si neglexerit te audire, dic Ecclesie: quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi veluti quispiam ethnicus, & quispiam publicanus. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo: & quæcunque sol-*

B 2

veritis



*veritis in terra, erunt soluta in caelo.* Addit Sanctissimus Servator hunc in finem, quantam efficaciam habituræ sint fidelium adunatæ preces, præsertim si voluntati divinæ fuerint conformatæ. Ita enim subjicit: *Rursum dico vobis, si duo ex vobis consenserint in terra, quodcumque petierint, fiet eis à Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.* I. c. v. 19, 20.

XV. Constat ex isto loco, quanti apud Deum futurum sit Ecclesiæ iudicium, quod modò procedendi à Christo determinatò instituitur, quòq; ipsò impœnitens ligatur, pœnitens autem solvitur: nempe id ipsum in caelis quoq; fore ratum, imò certissimum iræ ac maledictionis divinæ esse indicium, si quis tantam Ecclesiæ censuram incurrat, ut posthabitis & spretis ejusdem reliquis lenioribus censuris vel à communione Sacramentorum, vel etiam penitus à societate Christianorum veluti putridum membrum removeatur; sicuti vice versâ gratiæ & misericordiæ divinæ testificatio est, si pœnitens in societatem Ecclesiæ, imò in fraternitatem piorum recipiatur, & cum iisdem & preces & Sacramenta, magna illa communionis sacræ vincula, habeat communia. Benè Tertulianus in Apologet. *Ibidem*, in conventibus Christianorum, *exhortationes, castigationes, & censura divina: nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegatur, præfident namque apud nos probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimoniò adepti.*

XVI. Ordo autem, quem Servator in offensis mutuis tollendis observari voluit, est hic: Si acciderit, ut frater in fratrem peccaverit, eumque vel dicto vel facto læserit, ita tamen ut simul scandalum publicè non sit datum, & spes emendationis subsit, fratris læsi erit, privatâ exhortatione, imò etiam correptione non tam satisfactionem propriam, privatæ vindictæ speciem habentem, quærere, quàm fratris errantis emendationem tentare, eamque promovere. Cujusmodi charitatis officium injunctum quoque fuit Levit. XIX.



XIX, v. 17. Diximus: *Dictō vel factō laferit*; ita enim locutio: *ἀμαρτάνειν εἰς τινὰ*, sumitur Genes. XLII, v. 22. & præced. cap. XXXVII, v. 21. Eadem acceptio est I. Sam. XIX, v. 4. I. Reg. II, v. 31. Additum fuit: *ita, ut simul scandalum publicè non sit datum*. Quòd si enim hoc intervenerit, non unus atque solus quis est læsus, sed integer cœtus, habebitque tunc locum illud Pauli I. Tim. V, v. 20, *eos, qui notoriè & cum scandalo aliorum peccant, in conspectu omnium argue, ut & reliqui timeant*; sicuti & Paulus Petro simulatione suâ fratres abducenti *in os apertè obstitit*. Gal. II, v. 14. Denique additum fuit: *si spes emendationis subsit*. Tamdiu itaque hominis emendatio tentanda est, quamdiu spes est, eam obtineri posse. Quapropter si læsus exhortationibus & roagationibus privatis cedere nolit, ejus erit, *assumtis secum unò vel duobus testibus denuò ejus emendationem tentare, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*. Quòd si verò in pertinacia perseverare, quàm *hos benè monentes audire maluerit*, res deferenda est ad Ecclesiam, cujus reus hætenus pars est, non quidem universalem, sed particularem, eosque qui huic præsumunt. Atque hoc indicant verba: *Dic Ecclesiæ*. Quòd si & hanc ex verbo Dei monentem *audire neglexerit*, non solum à læso, sed & ab Ecclesia *habendus est velut ethnicus & paganus*: ipsum enim Deum per Ecclesiam commonefacientem contempsit. Vid. Origen. Homil. X. in Levit.

XVII. Et quidem privatus peccatorem hujusmodi impenitentem & præfractum non tam suò, quàm totius Ecclesiæ judiciò habet veluti ethnicum & publicanum, quippe qui iudicio istius Ecclesiæ, quam audire detractavit, fidelium confortio indignus fuit habitus. Equidem verba illa: *Habere aliquem tanquam ethnicum & publicanum*; directè ipsam excommunicationem non videntur designare: Ethnicus enim quia nihil habebat commune cum Synagoga, pœnæ locò non potuit fieri vel dici *ἀποσυνάγωγος*; publicani verò, quatenus ethnicis contradistinguantur, Judæi erant, nec *ἀποσυνάγωγοι*, cum à templo non arcerentur Luc. XII, v. 10. & ipsemet Johannes baptizans telonio ipsos non jubet renunciare,



sed regulas æquitatis tantum ipsis præscribit, Luc. III. v. 12. 13. Respiciunt itaque verba ista præcipue statum hominis peccatis suis non solum coram Deo, verum etiam coram Ecclesia involuti: siquidem super ethnicos manebant peccata ipsorum, quibus se polluebant & in quibus pertinaciter perseverabant, quæ inter idololatria non postremo fuit loco; publicani vero scientes volentes injusti erant, & proximo suo graves; ideoque apud Deum in gratia esse non poterant. Pari ratione, qui tanquam ethnicus & publicanus est habendus, talis est judicandus, qui propter pertinaciam & perseverantiam in peccato sit in statu iræ divinæ, & cui peccata in foro divino sint retenta, in damnationem certo imputanda, nisi à viis suis malis convertatur, & gratiæ divinæ restitatur. Deinde denotant etiam verba ista spontaneam hominis fidelis à præfracto & pertinace peccatore subtractionem: siquidem quemadmodum Judæi ex tempore Hasmonæorum seu Maccabæorum non quidem ex jure divino, sed subintroducto & superveniente consortia ac commercia gentilium fugiebant, neque eosdem pro proximis habebant, nec cibum cum iis capiebant, ita pari animo erga publicanos erant affecti, utpote quos à societate religiosa, quantum poterant, arcebant, nec cum iisdem comedebant, quin potius iisdem non minus, atque ethnicis officia fraternitatis denegabant; ut videre est apud Seldenum de Jure Naturali & Gentium ex disciplina Hebræorum libr. II. cap. V. & Joh. Ligtfootum Hor. Hebr. ad Matth. XIX. v. 17. Atque ita & hominis quoque Christiani erit à peccatore ad respicientiam se flecti non patiente secedere, eundem ex Ecclesiæ judicio, quod contemnit, res suas ut habeat jubere, cum eo neque in divinis, neque in humanis, nisi forte eidem aliqua ex jure naturæ, gentium, aut civili debeantur, communicare, atque ita pro fratre eum amplius non habere. Hæc ipsa innuunt verba Servatoris, atque eadem confirmant præcepta & praxis Apostolica I. Corinth. V. v. 11. Rom. XVI. v. 17. II. Thess. III. v. 14. Tit. III. v. 10. II. Joh. v. 10.

XIIX. Interim tamen ista subtractio & à præfracto peccatore



catore spontè facta secessio suò modò eundem cum excommunicatione habet effectum, imò excommunicationem sive statutam, sive statuendam supponere videtur. Quod enim ex Ecclesiæ iudicio contra præfractum peccatorem uni fidelium incumbit, id pari ratione reliqui etiam sibi injunctum facillè putabunt; sive quem unus Christianorum Ecclesiæ iudicium sequens fugit, nec pro fratre amplius habet, eum quoque ex eodem iudicio nec reliqui pro fratre habere poterunt, sed pari ratione ab hujusmodi Ecclesiæ contemptore secedere, atque ita communionem ei denegare tenentur. Cui autem omnes fideles ad Ecclesiam aliquam particularem pertinentes communionem denegant, is à tota illa Ecclesia ipsò factò est excommunicatus, atque ita coram ea ligatus. Imò quandoquidem *summum iudicii divini præjudicium est*, ceu Tertullianus loquitur, si quis ita ab Ecclesia sit ligatus, omninò etiam existimandum est, hujusmodi præfractum peccatorem hòc pactò simul coram Deo esse ligatum. Atque hinc apparet, quàm congruè & ad præcedentia accommodatè Servator Optimus in eodem sermone perseverans subjunxerit: *Amen dico vobis: quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in caelo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in caelo.*

XIX. Quam verò promissionem Dominus ante passionem & resurrectionem suam Ecclesiæ in Apostolis spectatæ verbis nonnihil obscurioribus, *Clavium* puta, *Ligandi*, *Solvendi* fecerat, eandem ex mortuis suscitatus magis perspicuis & simplicibus verbis addito externo insufflationis signo repetiit & confirmavit. Etenim *afflavit eos* (Apostolos) non solum in testimonium, se vivum esse hominem, qui respiret, sed & ut intelligerent, sibi collata esse, imò jam conferri non tam dona Spiritûs Sancti sanctificantia, per quæ fideles primùm constituerentur: hæc enim jam tùm habebant; quàm dona Spiritûs Sancti ministrantia, in specie donum ad ministerium ritè obeundum & ad discernendum, quibus peccata sint retinenda, quibus verò eadem sint remittenda, sicuti mox in visibili Spiritûs Sancti effusione in die



die Pentecostes accepturi erant reliqua dona ministrantia ad doctrinæ Evangelicæ propagationem & confirmationem in nascente Ecclesia necessaria, donum nempe, secundum quod diversis & hæctenus sibi ignotis loquerentur linguis, nec non donum miraculorum. Insuper ritus ille externus & essentiæ Spiritûs Sancti & processioni ejus à Filio quoad esse pulchrè respondit. *Afflavit enim Dominus illos (Apostolos,) & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.* Joh. XX. v. 23. Quod itaque in locis antea allegatis & à nobis expensis erat *peccata*, & propter peccata ipsum peccatorem *ligare*, hoc in præsentis loco est: *retinere peccata*; Quod verò antea dixerat Servator: *peccata*, & propter peccata ipsum peccatorem *solvere*, id ipsum hoc loco eidem est *remittere peccata*.

**XX.** Ex dictis facilè intelligitur, potestatem Clavium tam ligantis, quam solventis à Christo Ecclesiæ esse commissam. Quandoquidem verò hæc ipsa unò ore pœnitentibus gratiam divinam, impœnitentibus verò iram divinam denunciare æquè minùs commodè potest, quam vel verbum divinum unò ore annunciare, vel unâ manu baptizare, hinc juris istius à Domino sibi commissi exercitium in Ministros Ecclesiæ transfert, utpote quibus aliàs divinitus quoque mandatum est, ut curam gerant animarum sibi creditarum, Ezech. XXXIII. v. 7. 8. 10. & attendant gregi, in quo Spiritus Sanctus eos constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam ille proprio sanguine acquisivit. Act. XX. v. 28. Atque ita in Ecclesia simile quid usu venit, quod in quibusdam Rebus publicis observatur, in quibus deliberationes de summa Reipublicæ instituendæ certis personis commendantur, aliis imperia demandantur, qui quæ in Senatu maturâ deliberatione initâ sunt conclusa, secundum leges latas executioni dent, aliis verò judicia committuntur, qui causas cognoscant & de præmiis atque pœnis statuunt, quod juri & æquitati est consentaneum.

**XXI.** Atque sic exercitium potestatis Clavium ad ipsos Eccle-



Ecclesiæ Ministros devenit, atque ad eosdem pertinet. Quò-  
usque verò hujus juris exercitium penes Ministros Ecclesiæ  
fit, ulterius est dispiciendum. Scholastici Dd. atque inter  
hos etiam Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus Comm. in  
Matth. XVI. v. 19. observat, non unam, sed duas Claves Apo-  
stolis esse traditas. Quarum licet una ad ligandum, altera  
ad solvendum sit data, alium tamen atque alium finem in  
illis Clavibus quærendum ait facere, ut adhuc alia Clavium di-  
versitas sit annotanda, ac dicendum, alteram Clavem esse  
*scientiæ*, alteram autem *potentiæ*. Ita enim l. c. inquit: *Plurali-  
ter dicit Christus: CLAVES, quia suprema potestas constat ex  
duabus rebus: altera est autoritas decernendi, judicandi & definiendi  
ea, quæ sunt regni cælorum, sive pro, sive contra. Et hæc Clavis appellata  
est CLAVIS SCIENTIÆ. Altera est autoritas faciendi seu  
exequendi definita; Et hæc appellatur CLAVIS POTENTIÆ.*  
Præeuntem habuit Sententiarum Magistrum, Petrum  
Lombardum, qui libr. IV. Sent. Distinct. XIIIX. de Clavibus  
ita loquitur: *Claves istæ non sunt corporales, sed spirituales, scilicet  
discernendi scientiã, & potentiã judicandi; id est, ligandi & solvendi,  
quã dignos recipere, & indignos debet excludere à regno cælesti Eccle-  
siasticus iudex: qui sicut habet jus ligandi, ita solvendi. Et post  
aliqua: Usus harum Clavium multiplex est: discernere scilicet  
ligandos, & solvandos; ac deinde ligare & solvere. Qui enim, ut  
ait Gregorius, indignos ligat vel solvit, propriã potestate se privat, id  
est, dignum privatione se facit.*

XXII. Solent hanc Clavium distinctionem altiùs repe-  
tere, imò ad Autorem Sermonis xxvii. de Sanctis, quem Au-  
gustinum esse volunt, referre, quamvis hic Claves ita distin-  
guat, ut Petrum cum Paulo contendens illi quidem Clavem  
potentiæ, huic autem Clavem scientiæ à Christo commen-  
datam esse subindicet. Inde Petrus Lombardus l. c. & Ale-  
xander Alensis part. IV. Quæst. XX. membr. 2. & 3. & reliqui  
Scholastici Claves ministris Ecclesiæ datas ita distinguunt, ut  
altera sit *Clavis scientiæ*, altera verò *Clavis potentiæ*, quarum tamen  
utraque non solum actum ligandi, sed & actum solvendi re-  
spiciat. Est autem *Clavis scientiæ*, quã non tam ligantur &

C

sol-



solvuntur peccatores, quàm quos Christus propriâ suâ autoritate ac judiciò ligavit aut solvit, ligati aut soluti esse declarantur. Appellatio hæc ex Luc. XI. v. 52. est desumpta, ubi de Legis peritis dicitur: *Va vobis legis interpretibus, quoniam sustulistis clavem scientiæ, cognitionis, ipsi non introiistis in regnum cœlorum, & eos, qui introibant, ( introituri erant, ) prohibuistis.* In quibus verbis juxta Cyrillum, Ambrosium, Augustinum, Bedam, Theophylactum *Clavis scientiæ* est facultas sive peritia legem, imò omnem Scripturam interpretandi: Ita enim Legis periti & Pharisei scientiam Legis sibi vindicabant, ut persuasi essent, neminem, nisi cui ipsi viam regni cœlestis explicatione secundum suam peritiam factâ demonstrâssent, atque adeò portam cœli, imò cœlum ipsum reclusissent, in æternam salutem posse penetrare. Gemina habentur Matth. XXIII. v. 13. *Va vobis Scribae & Pharisei hypocrita, quoniam clauditis regnum cœlorum coram hominibus: vos enim non introitis, nec introeuntes finitis intrare.* Altera Clavis est *Clavis potentia*, quæ Scholasticis dicitur judiciaria potestas, quâ homines peccatores cum effectu vel ligantur, vel solvuntur.

XXIII. Sicuti verò Scholastici Claves Ecclesiæ ejusque Ministris datas ratione scientiæ & potentia distinguunt, ita etiam potestatem Ministris Ecclesiæ factam duplicem esse perhibent: aliam Ordinis, aliam Jurisdictionis. Et quidem ad *Potestatem Ordinis* referunt jus annunciandi verbum Dei & Sacramenta, Baptismi & Eucharistiæ, dispensandi. Hanc ipsam omni Sacerdoti ita propriam & perpetuam esse ajunt, ut ab eo auferri non possit. *Potestatem jurisdictionis* dicunt se exerere per ligationem & solutionem peccatorum, per legum Ecclesiasticarum lationem, & alia. Atque hanc potestatem primariò tribuunt Romano Pontifici, secundariò autem iis, quibus ista potestas à Pontifice est delegata. Audiamus hanc in rem Franciscum Toletum in sua Sacerdotum Instructione libr. I. cap. III. ita inquentem: *Duplex est in sacerdotio potestas: & potestas ordinis, & potestas jurisdictionis. Potestas ordinis est potestas conficiendi Christi corpus, & confici-*



conficiendi etiam Sacramentum aliis. Potestas verò jurisdictionis est potestas excommunicandi, absolvendi ab excommunicatione, dispensandi, conferendi indulgentiam, leges Ecclesiasticas condendi &c. Conf. Laymanni Theol. Moral. libr. V. Tract. VI. cap. X. Affert. 2.

XXIV. Utra Clavis ab Ecclesia ejusque Ministris ligando & solvendo adhibeatur, & secundum quam potestatem ea in ordine ad forum divinum usurpetur, non adeò facilis videtur esse quæstio. Magister quidem Sententiarum libr. IV. Distinct. XIIIX. eò propendit, ligationem & solutionem peccatorum fieri clave scientiæ; id ipsum verò negat Joh. Maldonatus Tom. II. de Sacram. in spec. de Sacram. Pœnit. part. 3. Thes. 5. p. 16. & cum eo reliqui Pontificii, quippe qui existimant, ligationem & solutionem peccatorum à parte Ministrorum Ecclesiæ supponere quidem *Clavem scientiæ*, quamvis ea forte non ubique cum clave potentiæ concurrat, ipsâ tamen Clave scientiæ propriè & formaliter neque ligationem neque solutionem fieri, sed hunc actum exerceri *clave potentiæ*; potentiam verò illam, secundum quam clavis peragat, ad quod data est, itidem supponere quidem *potestatem ordinis*: siquidem Ecclesia neminem ligat aut solvit, nisi per eos, quos in ministerium verbi & Sacramentorum segregavit; interim tamen hanc potestatem non tam ordinis, quam *jurisdictionis potestatem* esse volunt. Juxta hos itaque *potestas ligandi & solvendi non tantum est scientiæ, quâ sacerdotes discernunt, quis à Deo adeoque in foro divino, ligandus sit, quis solvendus, sed insuper est talis potentia, quâ peccatores cum effectu vel ligantur, vel à peccatis solvuntur.* ---- Sacerdotes enim non tantum judicant peccatorem esse peccatorem, sed etiam solvunt illum à peccatis, imò verè remittunt peccata, quin cum Sacerdotes peccata remittunt, Spiritus Sanctus est is, qui remittit, quem Sacerdotes accipiunt, cum ordinantur; ut verbis Maldonati l. c. communem Pontificiorum sententiam eloquamur.

XXV. Non unum est fundamentum, cui Pontificii suam hanc sententiam inædificant. Et quidem ante omnia,



ceum ex Maldonati verbis videre licet, ad ordinationem confugiunt, quâcum Spiritus Sancti gratia ad ligandum & solvendum, sive ad retentionem & remissionem peccatorum necessaria conferatur. Ipse Bellarminus huc quoque respicit, dum libr. de Sacram. Ordin. cap. II. huc refert locum I. Tim. IV. v. 14. *Ne negligito donum, quod in te est, quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum presbyterii.* Et II. Tim. I. v. 6. *Admoneo te, ut exsuscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.* Seqv. cap. III. in testimonium vocat Theophylactum & Oecumenium, quippe qui aperte dicant, in ordinatione conferri gratiam Spiritus Sancti, quæ piis studiis & oratione fovenda sit, quemadmodum oleo fovetur ignis. Et cap. IX. allegat illud Ambrosii libr. II. de dignit. Sacerdot. cap. V. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam.*

XXVI. Quamvis autem hâc pacto iis tantum potestas remittendi ac retinendi peccata sit concessa, qui per specialem ordinationem, & Spiritus Sancti gratiam ad id deputantur: quales sunt soli Sacerdotes; ut loquitur Paulus Laymannus libr. V. Theol. Moral. Tract. VI. cap. X. de Sacram. Pœnitent. istam tamen potestatem ait haud esse proximam & determinatam, sed esse tantum remotam & indeterminatam, quæ per se in actum exire non potest; perficitur autem ac determinatur per potestatem jurisdictionis à Christo vel Ecclesia collatæ, sive erga omnes sive erga certos fideles. Declarat hoc unâ atque alterâ similitudine: *Ad eum, pergit, ferme modum, sicuti qui Juris Doctor creatur, is potestatem accipit judicandi de rebus in Jure controversis, vel ex cathedra publice docendi; sed tantum remotam & incompletam, quæ in actum exire non potest, donec acceptâ jurisdictione alicubi iudex; vel acceptâ cathedrâ alicubi Professor constituatur.*

XXVII. Atque hinc in Sacerdotes derivant Pontificii potestatem jurisdictionis, quæ tamen potestatem ordinis supponat. Iterum Paulus Laymannus l. c. inquit: *Non omnis Sacerdos à peccatis absolvere potest, sed requiritur etiam in eo jurisdictio.* Rationem hanc addit, quia absolvere à peccatis est actus judicialis, ideoque jurisdictionem in subditos requirit. Putat hoc ipsum congruere factis Servatoris Joh. xx. v. 21. 22. 23. prius potestatem



*statem jurisdictionis Apostolis conferentis, per hæc verba: Sicut remisit Pater, ita ego mitto vos; deinde potestatem remittendi & retinendi peccata tribuentis.* Potestas illa jurisdictionis non solum actum imperandi, verum etiam judicandi in se completi dicitur. Præterquam enim quod eos, quibus Sacerdotes præfecti sunt, *Subditos* vocet, etiam in præced. cap. V. num. 2. Sacerdotes à Christo *velut præfides ac judices constitutos fuisse perhibet, ita ut sine illorum absolutione criminum venia obtineri non possit.* Hinc porrò dicunt, actum illum judicialem peculiarem effectum secum trahere: Non enim Christum dicere: quorumcunque peccata retinueritis, vel remiseritis, retenta vel remissa SUNT, sed retenta vel remissa ERUNT in cœlis; Deò tanquam supremo iudice istâ ratione confirmante & comprobante, quæ in terra à sacerdotibus actu hoc judiciali sint suscepta.

XXIIX. De hujusmodi potestate judiciali Ministris Ecclesiæ concessa, secundum quam hominibus peccata remittant, vel retineant, disertè quoque loquitur Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. V. de Confessione: *Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præfides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quò pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant.* Rursus cap. VI. *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen est solum nudum ministerium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quò ab ipso velut à iudice sententia pronunciat. Atque ideo non debet poenitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut putet ---- se propter solam suam fidem verè & coram Deo esse absolutum.*

XXIX. Potestatem quidem hanc à Christo in Apostolos & eorum successores tanquam in iudices, tales tamen, qui *ministri ac vicarii Domini sui in his terris sint, quorumque iudicium Dominus, tanquam supremus iudex sequatur, illudque ratum habeat & confirmet, devolutam esse, communiter in Pontificiorum scholis docetur, adeò quidem, ut Mi-*



nistri Ecclesiæ potestatem istam judicialem tanquam à Christo sibi delegatam non tam suâ, quàm Christi, à quo eam acceperunt, autoritate exercent. Baronius autem in *Annal.* ad ann. 34. num. 197. eò usque progreditur, ut statuatur, Apostolis & eorundem successoribus potestatem remittendi peccata à Christo ita communicatam fuisse, ut omnes haberint, & nunc etiam habeant eandem, h. e. talem ac tantam potestatem hominibus peccata vel remittendi vel retinendi, qualem & quantam Christus, ut homo, accepit à Patre. *Matth.* IX. v. 6. Cùm ergò Filius hominis per autoritatem à Patre sibi concessam & communicatam, atque ita propriam factam, secundum quam habet quoque *πᾶσαν ἐξουσίαν in cælo & in terra*, *Matth.* XXII. v. 18. habeat quoque *ἐξουσίαν in terra remittendi peccata* *Matth.* IX. v. 6. imò *judicium exercendi, quatenus Filius hominis est*, *Joh.* V. v. 27. ita juxta Baronium Apostoli & eorum successores habebunt propriam & sibi inexistentem, quamvis aliunde sibi communicatam potestatem & autoritatem peccata hominibus vel remittendi vel retinendi. Cujus rei potissimum fundamentum eo quærit, quòd Christus *Joh.* XX. v. 21. dixerit: *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos*; postmodum verò eos afflaverit, & Spiritum Sanctum unà cum potestate remittendi vel retinendi peccata concesserit.

XXX. Singula hæc ut exactè expendi ac distinctè declarari possint, observandum est I. peccata hominum non unius esse generis. Non enumerabimus varias peccati actualis differentias, sed ad nostrum institutum satis erit, si dixerimus, peccata esse vel Occulta, vel Manifesta. Quamvis autem Peccata Occulta aliàs soleant vocari illa, quorum *ἀνομία* & discrepantia à lege primæva neque ex recta ratione, neque ex revelatione indubitato constat, & de quibus *Psalm.* XIX. v. 13. *Jacob.* III. v. 2. *I. Cor.* IV. v. 4. agitur; Manifesta autem Peccata eadicantur esse, de quibus vel ex lumine naturæ, vel ex revelatione & verbo Dei indubitato constat, peccata esse; hoc tamen loco Manifesta Peccata ea appellabuntur, quæ publicè innotescunt, quæque homo *vel sponte confes-*



*confessus, vel quorum is in iudicio aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico-convictus est;* ut Augustinus libr. ult. Homil. 50. loquitur. Vocantur aliàs Peccata *Notoria*. Sunt autem vel ita notoria, ut de corpore quidem delicti constet, autor verò delitescat, vel ita sunt notoria, ut non solum corpus delicti in aprico sit positum, sed & autor non ampliùs lateat. Occulta autem Peccata ea nobis h. l. dicuntur, quæ semotis arbitris ita committuntur, ut non detegantur, nec publicè innotescant. Hoc patet adulterium Davidis cum Bathseba erat peccatum occultum, Absolonis verò cum patris sui concubinis adulterium erat peccatum manifestum. I. Sam. xii. v. ii. & cap. xvi. v. 22. Interim sæpe fit, ut quod peccatum ad tempus est occultum, deinceps tamen vel per spontaneam confessionem, vel per Magistratûs indicia sufficientia sequentis inquisitionem, vel etiam per testes, aut alio aliquo modo fiat manifestum.

XXXI. 2. Sciendum, Peccata Occulta, & quidem quamdiu sunt occulta, solum Deum offendere, Peccata autem Manifesta & in propatulo quasi commissa non solum Deum offendere, sed & proximum. Præcipuè verò lædunt ea Rempublicam, cujus delinquens hætenus pars est, utpote cujus leges vel ex sola honestate, vel ex voluntate Majestatis obligandi vim habentes violavit: Lædunt quoque & offendunt proximum, quin imò totam illam Ecclesiam, cujus partem se esse delinquens huc usque fuit professus, quippe in qua scandalum per hujusmodi peccatum manifestum fuit datum. Atque hinc est, quòd peccata, quæ occulta vocantur, ad forum divinum tantum pertineant, earumque vel retentio, vel remissio, sive ligatio & solutio tantummodò fiat in ordine ad forum divinum; at verò peccata manifesta, publica, & notoria pertinent quidem etiam ad forum divinum, inque eo & ligationem & solutionem subeunt, præter hoc tamen forum divinum pertinent etiam ad forum aliquod externum, idque tam civile, quàm ecclesiasticum. In utroque hoc foro externo peccatorum manifestorum reatus est expendendus, idque vel ita, ut peccatum ad aliquam delicto proportionatam pœnam imputetur, vel tam culpæ, quàm pœnæ



pœnæ pro meritâ remissio, 'aut saltem pœnæ mitigatio obti-  
neatur. De foro civili & quò usq; quis in eo ratione delicti ob-  
ligetur, hujus loci non est dicere. Quanam autem ratione pec-  
cata manifesta in ordine ad forû Ecclesiasticum sint specta-  
nda, deinceps erit indicandum & suo tempore uberius decla-  
randum. Solummodò hac vice peccata hominum, sive occul-  
ta sint, sive manifesta, in ordine ad forum divinum sunt consi-  
deranda, ut appareat, quanam ratione disciplina Ecclesiastica  
per clavem ligantem & solventem administranda in ordi-  
ne ad eadem sit comparata.

XXXII. 3. Quemadmodum duplicis generis sunt bene-  
ficia, quæ homini ad Ecclesiam pertinenti possunt obtinge-  
re, ita non una est ratio, secundum quam homo in peccatum  
relabens iis potest excidere, imò & iisdem pro re nata resti-  
tui. Beneficiorum illorum alia sunt interna; cujusmodi sunt  
gratia Dei, *visio Dei*, pax cum Deo, tranquillitas conscientia,  
spes hæreditatis æternæ, atque ita salutis certitudo. Alia be-  
neficia sunt externa; cujusmodi sunt fraternitas spiritualis,  
secundum quam Ecclesiæ membra se in vicem pro fratribus  
habent, utpote quibus una & communis mater est in terra,  
& unus Pater in cœlo, unum corpus, cujus Christus caput  
est, constituentia; admissio ad *conventus sacros*, commu-  
nio precum & oblationum, communio Eucharistia, agapa-  
rum, & alia. Prioris generis beneficiis homo excidit per  
peccata voluntaria & contra conscientiam commissa, sive  
sint occulta, sive sint manifesta, ac per consequens sive sint  
cum scandalo proximi atque Ecclesiæ conjuncta, sive minùs.  
Restituitur autem homo relapsus iisdem beneficiis potissi-  
mùm interveniente pœnitentiâ internâ & remissione pecca-  
torum coram Deo impetratâ. Istiusmodi beneficiorum,  
quæ interna diximus, sive privatio, sive restitutio respi-  
cit forum divinum & internum, adeoque ad illud est referen-  
da. Posterioris generis beneficiis homo excidit per ea tan-  
tùm peccata voluntaria & contra conscientiam commissa,  
quæ non solum manifesta sunt, sed & adeò enormia, ut cum  
scandalo proximi & Ecclesiæ sint conjuncta. Restituitur au-  
tem



tem homo relapsus his beneficiis non per solam poenitentiam internam, sed potius per poenitentiam externam, quæ tamen internam illam vel supponit, vel ad eandem subeundam actu pædagogicò invitatur, hominisque animum porrò flectit atque acuit. Horum verò externorum beneficiorum vel privatio, vel restitutio fit potissimùm in foro Ecclesiæ externo.

XXXIII. Quò ipsò ergò homo in peccata mortalia atq; voluntaria contra conscientiam commissa relabatur, coram Deo est ligatus; & si peccata illa sint manifesta & cum scandalo conjuncta, accedit quoque ligatio coram Ecclesia & in foro Ecclesiastico. Et pari ratione quodocunque horum peccatorum manifestorum solutio fit, oportet eam fieri non solum in ordine ad Deum, imò à Deo, ac per consequens in foro divino & interno, sed & in ordine ad Ecclesiam, imò & ab Ecclesia & in foro ejus externo.

XXXIV. Quandoquidem igitur fora sunt diversa, hinc 4. ligatio & solutio peccatorum aliam sortitur rationem in ordine ad forum divinum & internum, aliam in ordine ad forum Ecclesiasticum, quod externum est. Etenim coram Deo in foro divino *ligatum esse* est projectum esse à gratia Dei & actu ipsò spiritualibus beneficiis, quæ Deus in verbo suo offert, esse exutum; *Solvi* verò dicitur homo in peccatum relapsus, quando interveniente seriâ poenitentiâ internâ Deo reconciliatur, atque per hanc reconciliationem rursus particeps fit spiritualium istorum beneficiorum, quibus per peccatum exciderat. Coram Ecclesia autem & in foro Ecclesiastico *Ligari* est à sacris conventibus, à communione precum publicarum, ab Eucharistia, & aliis sacris externis excludi atque arceri; quod ipsum unò nomine *Excommunicatio* vocatur. *Solvi* autem coram Ecclesia & in foro Ecclesiastico est, præviâ poenitentiâ externâ & satisfactione præstitâ hominem rursus admittere ad externa beneficia, quæ fideles in Ecclesia habent communia. Atque hoc ipsum Veteribus erat *Communioni* hominem restituere, item *Pacem dare*.

XXXV. Fuerunt hæc necessariò indicanda, ut intelligatur, quânam clave disciplina in Ecclesia exerceatur, h. e.

D

ligatio



ligatio & solutio fiat, & secundum quam potestatem clavis munere ligandi & solvendi in ordine ad forum divinum fungatur? an hoc fiat secundum potestatem ordinis, an verò secundum potestatem jurisdictionis? Certè ligatio & solutio h. e. retentio & remissio peccatorum in foro divino & conscientiae à parte Ministri Ecclesiae non potest esse exercitium potestatis judicariae aut jurisdictionis. Præterquam enim quòd hi actus non versentur circa bona temporalia distribuenda, aut mala temporalia irroganda, sed unicè circa res spirituales atq; ad æternam animæ salutem, vel etiam exitum pertinentes sint occupati, solus etiam Deus est, qui peccata remittendi auctoritatem habet. Ita enim ipsemet Esa. XLIII. v. 25. *Ego, ego sum, qui deleo prævagationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Et Jerem. XXXI. v. 34. *Propitiabor iniquitati eorum, peccatorum eorum non recordabor amplius, dixit Jehovah.* Mich. VII. v. 18. *Quis est similis tui, ô Deus, parcens iniquitati, & transiens super prævagationem reliquiarum hereditatis tuae? non retinet in seculum iram suam: quoniam diligit misericordiam.* Conf. Exod. xxxiv. v. 7. Psalm. xxxii. v. 1. & 5, Jerem. xxxiii. v. 8. Cùmque Christo secundum humanam naturam data sit *πᾶσα ἐξουσία* omnis potestas in caelo & in terra, Matth. xxix. v. 18, omninò etiam *ἑξουσίαν* auctoritatem habere oportet in terra remittendi peccata, Matth. IX. v. 6. Quà de re ut tantò minùs sit dubitandum, etiam in statu exinanitionis hanc Majestatis divinæ particulam interdum fulgere voluit, adedò quidem, ut qui hoc audirent Scribæ & Pharisei, Divinitatis Christi ignari, ipsum *blasphemias loqui* putarent dicentes: *Quis est hic, qui etiam peccata remittit? nec non: quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* cùm tamen nosse debuissent, ipsi Filio omnes Prophetas testimonium dare, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus unumquemque, qui crediderit in eum. Actor. X. v. 43. Vid. Matth. IX. v. 2, 6. Marc. II. v. 5, 7. Luc. V. v. 20, 21. cap. VII. v. 48, 49.

XXXVI. Cùm ergò Christus suis Apostolis horumque in pascenda Ecclesia Dei, quam is proprio suo sanguine acquisivit. Actor. xx, v. 28. successoribus ligandi & solvendi, h. e. retinen-



retinendi & remittendi peccata potestatem fecit, ea certè, quò usque quidem forum divinum & conscientia se extendit, neutiquam est judiciaria & jurisdictionis, sed tantum ministerialis. *Deus enim reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, deditque nobis τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς*, non magisterium, sed *ministerium reconciliationis*; inquit Apostolus II. Corinth. V. v. 18. Sicuti & I. Corinth. IV. v. 1. dixerat: *Sic de nobis reputet homo, unusquisque nos æstimet ut ministros Christi*, ac tales, qui simus *οἰκονόμοι μυστηρίων Θεῶ* dispensatores *mysteriorum Dei*, h. e. verbi, & quæ verbo annexa sunt, Sacramentorum. Non igitur pars judicii & jurisdictionis, sed potius ministerii Apostolorum, eorumque qui ipsos in ministerio verbi excipiunt, est, ut peccatores Deo reconcilient.

XXXVII. Ministerii hujus partes in eo consistunt, ut generales de gratuita peccatorum remissione promissiones Dei, quales cum alibi, tum præcipuè Ezech. xix. v. 32. cap. xxxiii. v. 11. Joh. III. v. 16, 17. cap. V. v. 24. I. Tim. II. v. 4. cap. IV. v. 10. II. Petr. III. v. 9. I. Joh. II. v. 2. Psalm. xxxii. v. 5. aliisque in Scripturæ locis habentur, homini pœnitenti annuncientur, ad eum applicentur, atque ita ad certam personam in testificationem remissionis peccatorum apud Deum jam tum impetratæ accommodantur, eoque pacto remissio in cœlis facta continetur. Contrariò modò sese habet retentio peccatorum. Per eam enim comminationes de ira divina & pœna peccatis proposita ad hominem præfractum & impœnitentem in individuo accommodantur, & retentio peccatorum à Deo facta hòc pacto continuatur.

XXXIX. Neque enim putandum est, remissionem vel retentionem peccatorum, quæ fit per Ministrum Ecclesiæ, remissionem vel retentionem peccatorum à Deo in cœlis factam præcedere. Etenim si quis verè sit pœnitens & seriò doleat de peccatis admisis, fiduciamque veniæ in merito Christi ad se per fidem applicato collocet, & à peccatis deinceps abstinendi & rectè se gerendi firmum propositum concipiat, is coram Deo, sive in foro divino jam tum invenit remissionem peccatorum, Psalm. xxxii. v. 5. Joh. III.



v. 15. 16. Joh. V. 24. etiam antequam adeat Sacerdotem & ab eo absolvatur. Cujus rei luculentum exemplum nobis præbet publicanus procul stans, nolens oculos in cælum attollere, sed percutiens pectus suum ac dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. xxix. v. 13. Etenim statim v. 14. de eo dicitur, quòd descenderit justificatus, obtentâ remissione peccatorum justus reputatus, in domum suam. In tali ergò casu Minister Ecclesiæ nihil aliud potest, quàm remissionem peccatorum coram Deo factam declarare & de ea testari, imò accommodatione promissionum generalium de gratuita remissione peccatorum ad certum individuum facta eandem continuare. Apparet hoc etiam inde, quòd absolutio peccatorum, quam Minister Ecclesiæ annunciat, non sit absoluta, sed vel maximè conditionata: siquidem promissiones generales de gratuita peccatorum remissione non absolutè, sed semper sub illa conditione & hypothesi, sub qua Deus remissionem peccatorum vult largiri, à Ministro sunt annunciandæ, quæ conditio si fuerit posita, non per annunciationem hanc homo consequitur remissionem peccatorum, sed per adimplerionem conditionis, sive jam annuntiatio à Ministro facienda sequatur, sive non sequatur.

XXXIX. Unde etiam si *Clave errante* vel remissio vel retentio peccatorum fiat, h. e. si minister Ecclesiæ ex errore & ignorantia, vel ex affectu hominem interiùs verè pœnitentem liget, aut impœnitentem hypocritam solvat, ille nihilominus coram Deo est solutus, hic verò in foro divino ligatus manet. Quòd si verò Clavis malitiâ Ministri sit errans, locum habebit illud Gregorii Magni apud P. Lombard. libr. IV. Sent. Dist. xix. *Qui indignos ligat vel solvit, propriâ potestate se privat, id est dignum privatione facit*, Augustinus libr. II. de Pœnit. cap. ix. *Sacerdos se ipsum ligat, cum solvit indebitè*. Et notum est illud Alberti M. ad cap. xx. Joh. *Si Clavis errat, ligatum solvit, solutum verò involvit & non absolvit*. Pertinet huc illud Dionysii, quem vulgi error Areopagitam facit, libr. I. de Hierarch. Eccles. cap. vii. part. III. *Præsules habent potestatem secernendi, ut præcones sive interpretes judiciorum divinarum: non quòd*



quòd eorum irrationabilibus motibus & cupiditatibus sapientissima di-  
vinitas, ut honestò utar vocabulò, serviliter & quasi ministra obse-  
quatur, sed ut ipsi pro merito eos, qui à Deo judicati sunt, ministeriò  
suò separent, Spiritusque Sancti inspirationi obtemperent. Et mox  
de S. Petro loquens addit: Sic profectò ille, Petrus, omnisque  
illi similis presul, juxta paternorum judiciorum sibi indultas reve-  
lationes declarando & traducendo i. e. ut præco & portitor sive  
nuncius pios & Deo charos admittit, & excludit impios. S. Cy-  
prianus Epist. LV. quæ est ad Antonianum, hanc in rem ita  
inquit: Neque præjudicamus Domino judicaturò, quò minus si  
pœnitentiã plenam & justam invenerit, tunc ratum faci-  
at, quod à nobis fuerit hìc statutum. Si verò nos aliquis pœnitentiã  
simulatione deluserit, Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis in-  
tuetur, de his, quæ minùs nos perspeximus, judicet, & servorum  
sententiã Dominus emendet; dum tamen nos meminisse, frater, de-  
beamus, scriptum esse: Frater fratrem adjuvans exaltabitur. Gra-  
tianus Caus. xxiv. Quæst. 3. Can. Si quis non; ex Hieronymo  
ista allegat verba: Si quis non rectò judiciò eorum, qui præsumt  
ecclesiã, depellatur & foras mittatur, si ipse non antea exiit, hoc est,  
si non ita egit, ut mereatur exire, nihil leditur in eo; quod non rectò  
judiciò ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille,  
qui foras mittitur, intus sit. & ille foris, qui intus retineri videtur.  
Idem Gratianus Caus. xi. Quæst. 3. Can. Illud planè; adducit  
quoque hæc Augustini verba: Illud planè non temerè dixerim,  
quòd si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injustè, potiùs ei  
oberit, qui facit, quàm qui hanc patitur injuriã. Spiritus enim  
sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur,  
immeritam nulli ingerit penam. Ibidem quoque Can. Temerari-  
um; adducit illud Augustini de Serm. Dom. in monte libr. 2.  
c. 29. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo teme-  
rè judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Et Can. seqv. Quid  
obest; itidem ex Augustino hoc allegatur: Quid obest homini,  
quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si  
de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia? Allegatur &  
Can. Cui est illata &c. hæc Gelasii Papæ sententiã: Apud De-  
um & Ecclesiã ejus neminem potest iniqua gravare sententiã.

Gal. vi.  
v. 7.  
i. Reg.  
xvi. v. 7.  
Prov.  
xix. v. 19



XL. Quæ cum ita sint, meritò jure probamus & nostra facimus τῆ παύ B. Calixti in Concord. Evangel. libr. VII. cap. IV. verba: *Christus, ut autor gratiæ, remittit peccata, imper- tiendo ipsam remissionis gratiam; reliqui verò ( Apostoli eorum- que successores, Ministri Ecclesiæ, ) remittunt ut ministri, an- nunciando illam, quam nobis Christus facit, gratiam. Quæ annun- ciatio tum demum rata est, cum sit secundum præscriptum Christi, nempe cum non sit nisi pœnitentibus & credentibus. Neque enim si minister ex errore, aut affectu, vel impœnitenti & infideli remittat peccata, vel pœnitenti & credenti retineat, propterea id in cœlis & in judicio Dei ratum fuerit. Non enim secundum arbitrium ho- minum, sed secundum arbitrium Dei dimittuntur peccata; ut rectè Augustinus libr. III. de Baptismo contra Donatistas cap. XIII. ait, quem etiam vide hac de re egregiè differentem libr. L. Homilia- rum, Homilia XXIII.*

XLI. Atque ita ex dictis facilè apparet, Ministros Ec- clesiæ nequaquam actum judicialem aut jurisdictionis ex- ercere, quando in ordine ad forum divinum hominem in peccata relapsum vel ligant, vel solvunt, h. e. peccata eidem vel retinent vel remittunt. Benè igitur Ambrosius apud P. Lom- bardum libr. IV. Sentent. Distinct. XIX. *Verbum Dei dimittit pec- cata, sacerdos est non judex, sed* ~~etiam~~ *INDEX. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Idem lib. III. de Spiritu Sancto cap. XIX. Ecce, quia per Spiritum Sanctum peccata donantur, homines autem in remissionem peccatorum mi- nisterium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent: isti rogant, divinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificen- tia superna est potestatis. Huic jungimus Chrysostrum Homil. LXV. in Joh. ita loquentem: Neque Angelus, neque Archange- lus quicquam in his, quæ à Deo data sunt, efficere potest, sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit, sacerdos linguam & manus præbet.*

XLII. Eadem sententia est Hieronymi, cujus ætate fallax illa opinio de potestate ministrorum Ecclesiæ cum autoritate peccata remittendi vel retinendi nonnullorum animis jam tum videtur esse illapsa. Non autem aliam po- testa-



testatem iis relinquit, quàm quæ Sacerdotibus Veteris Testamenti circa leprosos competebat. Scilicet hi neminem lepræ involvebant, neque lepram cuiquam auferebant, sed tantum iudiciò suò indicabant, an homo verè leprosus sit, nec ne, in testimonium veritatis. Qua de re agitur Levit. XIII. XIV. Ita Christus leprosum, cuius mentio fit Mat. IX. v. 4. & decem alios leprosos, de quibus agitur Luc. XVII. v. 14. prius à lepra liberavit, quàm hi sacerdotum iudicio sese sisterent ad munus lege injunctum Deo pro impetrata munditie offerendum. Sed audiamus S. Hieronymum in Matth. XIII. v. 19. ita scribentem: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita queratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant: non quò sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi & non leprosi: & possint discernere, qui mundus, qui ve immundus sit. Quomodo ergò ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos, qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui ve solvendus.*

XLIII. Facile esset plures ex SS. Patribus in testimonium vocare, si negotio huic immorari placeret. Sicuti etiam nullò negotiò Scholasticorum, præsertim antiquiorum, consensum liceret exhibere. Placet verò præcipuè audire eorum antesignanum, Petrum Lombardum, Is libr. IV. Sentent. Distinct. XIIII. multis adductis testimoniis hoc agit, ut doceat, *Dominum solum per se peccata dimittere: & sicut dimittit quibusdam peccata, ita & aliorum quorundam peccata retinere. Addit: Nec ideò tamen negans, sacerdotibus commissam potestatem dimittendi peccata. --- Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui & animam mundat ab interiori macula, & à debito eterne mortis solvit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi & ligandi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudiciò ostenderetur mundatus.*

*Ita*



Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis aut Judæis presentibus solvendum. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesie solutus habetur, nisi per indicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus & judicat, sicut olim legalis in illis, qui contaminati erant leprâ, quæ peccatum signat.

XLIV. Petro Lombardo ex intervallo non unius seculi jungimus Thomam de Vio, Cardinalem Cajetanum, qui quamvis cum hodiernis Pontificiæ Ecclesie promachis ab hac Magistri Sententiarum opinione aliquantum recedat longius, ei tamen vis veritatis nonnulla extorsit, quæ nostræ favent sententiæ. Etenim Comment. in Joh. xx. non potuit evitare, quin hæc sibi pateretur excidere: *Ne intelligeremus, authoritativè dimitti peccata à discipulis, non dixit Dominus: Remitti peccata; sed: quorum remiseritis peccata, remittentur eis; ut vis & efficacia remissionis explicaretur non in discipulis, sed in Deo remittente: dicendo enim: quorum remiseritis peccata; remissionem quidem, sed ministerialem significare se monstrat ex eo, quod subjungit: remittentur eis.* Rectè omninò dixit Cajetanus, peccata non dimitti in foro divino authoritativè à discipulis, nec vim atque efficaciam remissionis esse in discipulis, sed in Deo remittente, atque ita discipulos non exercere actum judicialem & jurisdictionis in foro divino, sed tantum actum ministerialem, cujus vis & efficacia unicè à Deo pendeat. Rectè omninò! quamvis non dissimulemus, Cajetanum iter hoc mox flectere & in communem Pontificiorum sententiam rursus declinare.

XLV. Communi huic Pontificiorum sententiæ viam primus stravit ipse Petrus Lombardus, qui quamvis rectè docuerat, sacerdotum potestatem ligandi & solvendi in eo esse positam, ut ostendant & declarent homines coram Deo esse vel ligatos vel solutos, in animum tamen sibi revocans, quæ de Clave scientiæ & potentiæ attulerat, libr. IV. Sent. Distinct. xix. fatetur, multos sacerdotes, cum ordinantur, rudiores esse, quàm ut discernere possint, quibus peccata sint retinenda, quibus remittenda, multos etiam esse, qui post susceptos



ptos ordines hanc scientiam sibi non acquirant, cumque adeo non habeant *scientiam discernendi, qui ligandi sint, qui solvendi,* & si qui eam habeant, nec tamen in sacerdotes sint promoti, clave scientiæ utendi jus nondum possideant, hinc ministris Ecclesiæ communes esse claves potentiæ, quibus regnum cœlorum vel claudatur, vel aperiatur. Magistro Sententiarum hac in re adstipulatur Bonaventura in IV. Sentent. Distinct. XIX. Quæst. I. inquit: *Dicendum, quod scientia non est clavis principalis, nec per se, sed prout juncta est auctoritati ligandi vel solvendi.* Quibus innuit, scientiam nonnullis sacerdotibus deesse, & si quibus ea adsit, eam tamen non sufficere, sed accedere quoque debere potestatem atque auctoritatem ligandi & solvendi, quam periti sacerdotes cum imperitis habeant communem. Clavis hæc auctoritatis & potestatis tandem cœpit quoque *clavis jurisdictionis* dici, quæ tamen ordinis potestatem supponat. Et cum *jurisdictio* post deliberationes completatur imperium & judicia, hinc tandem Concilium Tridentinum anathema in eos evibrare est ausum, *qui dicunt, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti.*

XLVI. Nimis temerarium esse hoc anathema, nemo non videt, præsertim postquam satis ostensum est, Ministros Ecclesiæ in ordine ad forum divinum non esse peccatorum *judices*, sed potius *indices* remissionis vel retentionis peccatorum à Deo in cœlis factæ: ac per consequens ministros Ecclesiæ clave vel ligante vel solvente utentes in foro divino nullius jurisdictionis actum exercere. Sanè quod ipsò Pontificii cum Lombardo & Bonaventura fateri coguntur multos Sacerdotes esse *simpliciores & rudiores*, quàm ut ab illis *scientia discretionis* sit requirenda, eò ipsò fateri coguntur, quàm malè Ecclesiæ, & in ea hominibus peccatoribus, præsertim pœnitentibus, consultum sit, si horum absque ulla prævia cognitione factò judiciò ipsis sit standum, Deusque horum imperitorum hominum judicium sequatur, idque in cœlis ratum habeat, Ubi enim nulla est di-

E

scernen-



scernendi scientia aut peritia, ibi non potest non multiplex metui error, nec in hoc negotio clavis non potest non frequenter esse errans, atque sic facile contingere, ut poenitens & credens iræ divinæ & reatui damnationis æternæ involvatur, impoenitens verò & incredulus, modò magnum agat hypocritam, absolvatur ac cœlo inferatur; quorum tamen neutrum neque cum voluntate neque cum justitia divina consistere potest, imò & utrumque horum à Patrum de clave errante doctrinis est alienum.

XLVII. Neque quicquam Pontificios juvat, quòd Christus Matth. XVI. v. 19. & XII. v. 18. verbis futuri temporis utatur, dicens: ἔσαι δεδεμένον. ---- ἔσαι λελυμένον. *ERIT ligatum*, ---- *ERIT solutum*. Etenim verba futuri temporis nonnunquam in Scriptura sacra non tam futuritionem rei primùm significant, quàm rei jam tùm factæ continuatorem. Id quod etiam h. l. usu venit. Sensus namque est: Quorumcunque poenitentium & verè credentium peccata promissionum divinarum poenitentibus atque credentibus propositarum ad istiusmodi individua applicatione earundemque annunciatione factâ remiseritis, horum peccata sicuti jam tùm apud Deum sunt remissa, ita porrò erunt remissa, i. e. non primùm incipient remitti, sed pergent esse remissa. Quam expositionem confirmat locus Joh. XX. v. 23. ubi duo verba, unum præsentis, alterum præteriti temporis, ἀφίενται, remittuntur, & κειράτενται, retenta sunt; adhibentur. Conf. Glassii Philol. Sacr. libr. III. Can. IV. p. 240.

XLIX. Quod verò Baronius ex eo contendit, Apostolis & eorum successoribus eandem, imò æqualem cum Christi autoritate ligandi & solvendi potestatem à Domino esse communicatam, quam is secundum humanam naturam à Patre acceperat, quòd Christus Joh. xx. v. 21. Apostolis dixerit: *SICUT me misit Pater, ita ego mitto vos*; id itidem nimis quàm frivolum est. Etenim particulæ, ὡς, ὡςπερ, καὶ ὡς non semper exactam convenientiam & paritatem, sive omnimodam æqualitatem denotant, sed sæpius qualemcunq; tantùm similitudinem designant, ceu patet ex Matth. V. v. 48.  
Luc.



Luc. VI. v. 36. Joh. XVII. v. 21. 22. Certè I. c. vox καθως non denotat exactam æqualitatem aut paritatem, ita ut Apostoli pari cum Christo gaudeant potestate vel verbum annunciandi, vel peccata hominibus cum autoritate remittendi aut retinendi: Hoc enim Christo competit ut auctori gratiæ, Apostolis verò ut ministris ac gratiæ præconibus beneficiorumque secundum voluntatem Domini dispensatoribus est datum; sed denotat tantum similitudinem qualemcunque saltem ratione originis. Sicuti enim Christus secundum humanam naturam hanc ἐξουσίαν à Patre sibi communicatam accepit, ita à Christo eam accipiunt, qui legatione ejus ad homines funguntur. Atque ita Christi secundum humanam naturam potestas & Apostolorum potestas ratione originis est eadem, sive habet eandem originem: utraque enim est à Deo; non autem est eadem ratione paritatis aut æqualis autoritatis. Porrò sicuti Christus *missus* est à Patre ad hoc, *ut evangelizaret pauperibus, sanaret contritos corde, predicaret captivis remissionem, & clausis apertionem, ut consolaretur lugentes, predicaret annum placationis & diem ultionis à Deo nostro, Esa. LXI. v. 1. 2.* Luc. IV. v. 18, 19. ita & ad hoc ipsum Apostoli & discipuli à Domino sunt missi; eoque pacto similitudini hujus missionis sua ratio facile constabit.

XLIX. Superest adhuc Hieronymi locus pensitandus, in quo rationem qualemcunque reddit, quare ligandi & solvendi potestas omnibus quidem Apostolis communis, Petro tamen peculiariter à Christo sit data Matth. XVI. v. 19. In eo namque potestatem *judiciariam* Apostolis eorumque successoribus tribuit. Adducit quoque locum istum Petrus Lombardus libr. IV. Sent. Distinct. xix. ex Comment. in Matthæum, ubi sic loquitur Hieronymus: *Habent eandem judicariam potestatem ligandi & solvendi & alii Apostoli: habet & illam omnis Ecclesia in Episcopis & Presbyteris. Sed ideò Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quòd quicumque ab unitate fidei & societate Ecclesie se separaverit, nec à peccatis absolvi, nec cælum potest ingredi.* Quibus verbis Hieronymus potestatem Ministrorum Ecclesie in ligatione & solutione



consistentem facit *judiciariam*, & per consequens actum litigationis & solutionis facit *judicialem* & *jurisdictionis*, imò ipsos sacerdotes & Verbi divini Ministros hōc pacto *judices* esse agnoscere videtur. Verū enim verò quod de Sanctorum Patrum grandiloquentia aliàs moneri solet, id quoque de hoc Hieronymi loco procedit. Vox *Judicis* enim, quando Ecclesiæ ministris in ordine ad forum divinum tribuitur, non propriè est sumenda pro eo, qui causas cognoscit easque cum autoritate & potestate propria dirimit ac decedit, sed impropriè pro eo, qui sententiam à superiore latam annunciat, & si generalis ea est, ad certum individuum applicat, atque ita *judici* *αυτοκριτικῶ* os & omne ministerium suum tantummodò commodat. Sed si in hac significatione Pontificii Ministros Ecclesiæ *judices* esse voluerint, & actum à peccatis vel absolvendi vel eadem retinendi istà ratione *judicialem* fecerint, facilius cum illis hoc in negotio poterit transigi: siquidem tunc Ministri Ecclesiæ non magis erunt *judices*, quàm Moses *fidelis ille in domo Dei servus* Num. xii. v. 7. Hebr. III. v. 2. 5. in Republica Israëlitica fuit *Legislator* Joh. I. v. 17. quem propterea *Mediatorem*, *μεσίτην*, vocat Apostolus Gal. III. v. 19. 20. Quòd si autem verba Hieronymi in ordine ad forum Ecclesiæ externum capere & explicare voluerimus, sicuti in ordine ad hoc forum Ministris Ecclesiæ tribui solet potestas *jurisdictionis* à Christo ipsis delegata, ita etiam quò usque eorum potestas *jurisdictionem* quandam repræsentat, eò usque etiam hanc ipsorum potestatem *judiciariam* licebit appellare.

L. Constat itaque, quò usq; Ministri Ecclesiæ in ordine ad forum divinum & internum hominibus peccata vel remittendi vel retinendi potestatem habeant, & quâ ratione illam exercent. Cū verò remissio peccatorum à Deo in cœlis facta ordine naturæ remissionem à Ministris Ecclesiæ in terra in ordine tamen ad forum divinum factam præcedat, id in quæstionem venire potest: annon vel retentio peccatorum vel eorundem remissio à Ministro Ecclesiæ in terris facta sit supervacanea? an verò adhuc aliquem habeat usum, & quisnam



nam ille sit? Quid de Absolutione à peccatis per Ministrum Ecclesiæ in ordine ad forum divinum facta sentiendum sit, verbis B. Chemnitii eloquemur. Is autem in Exam. Concil. Trident. part. II. de Absolut. ita inquit: *Pavida & perterrefacta conscientia ex absolutione consolationem accipiunt, ut non dubitent, ad se privatim quoque pertinere, sibi privatim à Deo donari & applicari beneficia Mediatoris, quæ in genere omnibus credentibus promittuntur.* Et rursus: *In absolutione Deus ipse per ministerium Evangelii remittit peccata singulis credentibus: atque hõc modò absolutio ministri testimonium est divinæ absolutionis, unde conscientia testimonium habet, sibi verè à Deo remissa esse peccata.*

LI. His ipsis prorsus gemina habet B. Calixtus in Epit. Theol. p. 154. *Omnino, inquit, peccata remittunt Ministri, sed modus, quò id præstant, attendendus est: nempe Deus remittit peccata impertiendo sive faciendo ipsam gratiam remissionis; Ministri autem remittunt, dum ex Evangelio secundum Dei voluntatem credentibus gratiam, quam Deus impertit, annunciant. Et per hoc ipsorum ministerium Deus efficax est, & remissionem illam, de qua diximus, confert, scilicet per hujusmodi annunciationem fidem confirmat & auget. Fidem verò excipit & indubitatè subsequitur remissio peccatorum.* Et rursus: *Propter fidei infirmitatem, & in pleniorẽ ejus confirmationem, firmioremque consolationem vult Deus promissionem gratiæ non tantum indifferentè & in genere proponi, sed etiam singulis applicari. --- Privata igitur absolutio contritis & fide peitentibus consolationem remittit peccata non aliter, quàm quòd privatim seu singulis voce Evangelii annunciat remissionem peccatorum: illa verò annuntiatio efficax est, quia est ministerium Spiritus, per quod Deus fidem confirmat, & peccata remittit. --- Atque hõc modò Absolutio Ministri est testimonium divinæ absolutionis, unde conscientia testimonium habet, sibi verè à Deo remissa esse peccata.*

LII. Sic ergò facilè patet, absolutionem à Ministro Ecclesiæ in ordine ad forum divinum factam neutiquam esse supervacaneam, sed suam quoque habere efficaciam. Perinde verò est, sive Ministri Ecclesiæ suâ hâc à Domino sibi commissa potestate publicè utantur, sive privatim: Neque enim modum Servator ita determinavit, ut uno posito



alter sit excludendus. Sicuti ergò per publicam absolutionem promissio Evangelica de gratia Dei & remissione peccatorum omnibus credentibus offertur & applicatur, ita per absolutionem privatam istiusmodi beneficia singulis credentibus annunciantur & applicantur, qui hanc Dei gratiam quaerunt eademque se indigere profitentur. Et quidem privatae huiusmodi absolutionis ab ipso Christo usurpatae exempla occurrunt Matth. IX, v. 2. Luc. VII, v. 48, cap. XIX, v. 5. & 9. Unde adeò *qui usum privatae absolutionis, qua voce Evangelii per Ministrum verbi annunciat, ex Ecclesia prorsus tollunt, cum is Ecclesia nostra in ista doctrina nihil commune habent; iterum inquit B. Chemnitius l. c.*

LIII. Sicuti verò remissio peccatorum in terra à Ministris verbi facta non est sine sua efficacia, ita pari ratione retentio peccatorum clave non errante ab iisdem facta frustra esse non potest. Etenim comminationes de poenis ac suppliciis aeternis in impios impoenitentes atque incredulos statuendae cum omni ira divina omnibus mandata divina insuper habentibus propositae per retentionem peccatorum ad certum individuum applicantur, ut contumacia huiusmodi hominis retundatur, isque agnoscat, se extra gratiae statum esse constitutum, certissimumque damnationis periculum sibi imminere, nisi tempus gratiae agnoscens ad se redeat & resipiscat.





Da. 952. 6

Da 952

ULB Halle 3  
003 751 120



A

TA → OL


nur BC Biskop  
angehängt

W 17


W.C.











DISSERTATIO THEOLOGICA  
PRIMA  
DE  
**DISCIPLINA**  
ECCLESIASTICA,

QUAM  
D. O. M. A.

Confensu Venerandi Ordinis Theologici  
IN ILLUSTRACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

**JOH. BARTHOLDO NIEMEIERO**  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, PRIMÆ PHILO-  
SOPHIÆ NEC NON LOGICES PROFESSORE  
PUBLICO ET ORDINARIO

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XXII. MAJI ANNI clō Ibc XCV.

*Publico Eruditorum examini submitter*

**JOHANNES FRIEDERICUS Stieglitz/**  
Atenstetō - Halberstadiensis.



HELMSTADII,

Typis SALOMONIS SCHNORRII

15  
14

p.

